Universitätsbibliothek Paderborn

# Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Svmmarivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46853

Visual Library

tur. *Tonitrua* denique, graues eorundem increpationes, quibus ſopiti in ſceleribus peccatores excitantur, ac terrore concutiuntur. Præter hæc autem per Tonitrua libet pœnas interpretari blaſphemorum in Deiparam; vel Hoſtium Eccleſiæ euerſiones, quæ ex Deipara ſæpè procedere, eiusq́ue ope, atque præſidio fieri, ſatis capite illo exemplis oſtendimus Iam verò quia huius generis exempla, quæ diuerſis in locis, ac temporibus acciderunt multa ſunt, quæ ſi omnia in caput illud conferantur, juſtam capitis magnitudinem longè excederent: ſi omittantur rebus fraudaretur Lector ſcitu, ut ipſe quidem arbitror, non injucundis. Idcircò nonnulla in ipſo capite, quæ & cæterorum ſpecimen ſint, & propoſitum perſpicuè probent, ſelegi. Reliqua verò, quæ ex probatis Auctoribus multo labore, ac ſtudio conquiſieram, in hunc ad finem Operis Tractatum rejeci, qui ſit capitis vigeſimi APPENDIX: quo in tractatu eodem ordine, totidemq́ue ſectionibus exempla narrabimus quæ vel ſingularia in homines beneficia, ſiue ab ipſa DEIPARA, ſiue è viris Sanctis, Deiparæ tamen inuocatione, ſiue ab eandem Deipara certis in Templis præſtita: vel peccatorum conuerſiones tum blanda, tum ſeuera admonitione editas: vel blaſphemorum in Deiparam pœnas: vel denique Hoſtium Eccleſiæ interneciones Deiparæ vi, ac præſidio illuſtres palam faciunt. Quæ in ipſo tractatus veſtibulo te pie Lector monitum volui, ut prænoſceres, cur in has claſſes hæc exempla redegerim, nimirum, ut dilucidius conſtet EX DEIPARA TANQVAM EX DIVINO THRONO PROCEDERE FVLGVRA, VOCES, ET TONITRVA.

*SVMMARIVM.*

*Varia Deiparæ miracula ex diuerſis Auctoribus ſectione 1. num. 1.*

*Aliquot Deiparæ miracula ex* Vincentio Beluacenſi *lib. 7. ſpeculi hiſtor. nu. 3.*

*Aliquot Deiparæ miracula recentiora ex hiſtoria Indica* P. Petri Maffei *Societatis Ieſu. nume. 7.*

*Ciuitas Imperialis in Chilenſi Regno apud Peruanam Regionem in India Occidentali ab Indis obſeſſa Deiparæ præſidium in neceſſitatibus experta num. 9.*

*Miracula aliquot à viris ſanctitate præclaris inuocatione Deiparæ alijs exhibita, quæue in ſeipſis ſunt experti ſect. 2. nu. 10.*

*Miracula Deiparæ certis in Templis edita ſectio. 3. num. 14.*

*Miracula in æde Lauretana ibidem.*

*Miracula quædam in Deiparæ templo Sueſſionenſi in Gallia nu. 19.*

*Miracula feretri B. Mariæ Laudunenſis n. 21.*

*Miracula Templorum B. Virginis in Germania ex Tritemio nu. 22.*

*Miracula in Eccleſia B. Virginis de Vrticeto n. 24.*

*Admirabiles complurium peccatorum conuerſiones per Deiparam factæ ſect. 4. nu. 25.*

*Inſignes quidam peccatores Deiparæ Lauretanæ beneficio ad pietatem mirabiliter conuerſi nume. 26.*

*Regis Aragoniæ, & comitis S. Ægidij diſcordia per Deiparæ Imaginem compoſita nu. 28.*

*Puella quædam Iudæa Deiparæ auxilio ad Chriſti fidem conuertitur nu. 29.*

*Regis Monomontapæ per Deiparam ad Chriſti fidem conuerſio nu. 30.*

*Aliqui à Deipara clementer puniti, ſeu alia ratione admoniti reſipiſcunt ſectione 5. nu. 31.*

*Vdonis in ſceleribus obſtinati miſerabilis interitus nu. 36.*

*Nonnulli in Deiparam impij membrorum priuatione, vel etiam morte mulctantur ſect. 6. nu. 37.*

*Hæretici, aliiq́; Eccleſiæ hoſtes Deipara eam protegente miſere perierunt ſect. 7. nu. 42.*

*Neſtorius ſuæ in Deiparam impietatis pœnas ſoluit. nu. 43.*

*Anatolium Impium Deipara auerſatur. nu. 97.*

*Italia à Gothis per Deiparam liberata anno 553. nu. 45.*

*Conſtantinopolis per Deiparam ab obſidentibus Barbaris ſeruata. nu. 46.*

*Victoria de Barbaris Deiparæ præſidio à Theodoro Heraclij Fratre, & ab ipſo Heraclio parta. nu. 47.*

*Conſtantinopolis à Saracenis obſeſſa ſæpè Deiparæ præſidio ſeruata. nu. 48.*

*Inſignis victoria de Mauris in Hiſpania Deiparæ præſidio reportata anno 718. nu. 49.*

*Saraceni Tarſi commorantes Deiparæ interceſſione ingenti clade profligantur. nu. 50.*

*Deipara ad recuperandam ab Infidelibus Ieroſolymam inuocata nu. 51.*

*Ingens Maurorum exercitus in Hiſpania, anno 1212. ope Deiparæ ad internecionem deletur. nu. 52.*

*Deipara à Barbaris magna eorundem clade Carnutenſes tutatur. nu. 53.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Ioannes Zemiſces Deipara ope Barbaros profligat. nu. 54.*
*Ioannes Comnenus Deipara auxilio, Scytharum exercitum delet. nu. 55.*
*Conſtantini Copronymi, & Leonis Iſaurici Hareticorum mors execranda. nu. 56.*
*Albigenſes Haretici in Gallia per Deiparam extincti nu. 57.*
*Infideles Dienſem arcem oppugnantes Deiparæ patrocinio profligantur. nu. 58.*
*Ingens Angolæ de Barbaris Deiparæ auxilio parta victoria. nu. 59.*
*Victoria Naualis de Turcis anno 1571. Deiparæ precibus parta, nu. 60.*
*Gonflagratio hoſpitij Montis Virginis, & quamplurimorũ miſerandus interitus. Quorundam item admirabilis ab incendio per Deiparam ſalus anno 1611. num. 26.*

## VARIA DEIPARÆ MIRACVLA *ex diuerſis Auctoribus, ſectio prima.*

*Iſaacius Imperator Conſtantinopolitanus D. Vope victoriam conſequitur.*

1 ISAACIVS Angelus Imperator Conſtantinopolitanus anno ſalutis 1187. cùm à Brana Tyranno exagitaretur, Dei Genitricis Imagine ex Hodegio Monaſterio tranſtulit in Mœnia Vrbis, ubi bellum, & aggreſſus hoſtium timebatur, & Monachos quos credidit ſanctiores introduxit in Regiam ad preces Nudipedalia, Humi Cubationes, & alias ſanctas exercitationes frequentandas: atque ita ab imminenti exitio liberatur ope Conradi Longobardi Ducis è Monte ferrato occiſo Tyranno. hæc Nicetas in Annalibus.

*S. Adelbertus Epiſcopus Pragenſis & mart. cum infans ægrotaret à Deipara valetudini eſt reſtitutus.*

S. Adelbertus Epiſcopus Pragenſis, qui Polonis, & Hungaris Euangelium prædicauit, & anno Domini 997. inclyto martyrio eſt coronatus; cuius dies in Martyrologio 23. Aprilis annotatur, cum adhuc infantulus lac ſugeret febri correptus proximam ſibi mortem inſtare præſeferebat. Territi ergo parentes à quibus unicè diligebatur voce tremula dixerunt: *Non nobis Domine, non nobis viuat puer iſte ſed Clericus in Dei Matris honorem portet jugum ſuum pulchra ceruice.* Sic dicunt, ponuntque ſub altare Virginis, & receſſit in ictu oculi vis doloris: infantulus ad ſe redit, ſoſpes in omnibus membris Bona Angelorum Imperatrix Auguſta Virgo perpetua, ſic ſic ſe inuocantium ad Deum portat hominum vota, dum negare neſcit ex corde petentibus, dum de cœlo fert opem ægris mortalibus, Splendida ſtella maris, ſignaſti jam ſervum Virgo Maria tuum. hæc in eius vita apud Surium. *Surius.*

Is factus deinde Epiſcopus, & Monaſtico etiam habitu ſuſcepto tanta vitæ ſanctimonia claruit, tanto animarum zelo flagrauit, ut ſe Dei Genitricis alumnum, cujus ope ſanitatem adeptus erat, egregiè comprobarit.

*S. Petrus Cæleſtinus oculus à Deipara reſtituitur.*

S. Petrus Cæleſtinorum Inſtitutor, ſummo Pontificatu depoſito clarus: cum eſſet trimulus, ligno acuto in dextero oculo percuſſus, excæcatur: deſperata à Medicis eius curatione, Mater de B. Virgine confidens, ad quandam ejus Eccleſiam puerum deferens, ibi una nocte vigilat, & orat: & dum maternus oculus inter deuota precum ſuffragia lacrymatur, oculus filij ipſo mane ſanus, & abſque macula reſtauratur. hæc Petrus de Aliaco Cardinalis in ejus vita cap. 4 apud Surium 19. Maij. *Petrus de Aliaco Cardin.*

*Deiparæ miracula in templo Cyri Epiſcopi Smyrnæorum. Nicephor.*

2 De miraculis quoque Deiparæ editis in templo extructo à Cyro, qui cùm eſſet ethnicus, præfecturam Conſtantinopolitanæ Vrbis geſſit ſub Theodoſio Iuniore circa annum Domini 446. poſtea verò Chriſtianis ſacris ſuſceptis in Smyrneorum Epiſcopum eſt promotus, hæc ſcribit Nicephorus lib. 4. hiſt. cap. 46. agens de eo. Hujus quoque eſt opus templum Dei Genitrici dicatum, quod Cyri dicitur, in quo fama eſt Romanum illum Cantorem eximium propter carmina decantata honorem, & præmium virtutis à Dei Genitrice recepiſſe. Templum autem id hujusmodi occaſione iſthic eſt erectum. Cupreſſus in eo loco ingens & procera fuit, in qua ſuperioribus temporibus neſcio quo modo, Imaginem Dei Genitricis quidam occultauit. Cùm autem multum præteriiſſet temporis, & Imago lateret, ipſa ſe ipſam indicauit. Cupreſſus enim immenſo coruſcans lumine perinde, atque fax una ardere viſa eſt, & ingens etiam miraculorum vis ab obſcura, & latenti efficacia manauit. Vbi autem quidam curioſitate laudata arborem conſcendit, Imago ea, unde miraculorum vis profluxit, apparuit. Quapropter Cyrus loco ei honorem habens, pulcherrimum, & maximum Dei Genitrici conſtruxit templum. hæc Nicephorus.

*Deiparæ imago Da[illegible] [illegible] oleo manante [illegible]*

Damaſci Deiparæ ſacra Imago oleo ex ea manante non tantùm Chriſtianis, ſed & Saracenis, ac Iudæis ſubveniebat, teſte Arnoldo Abbate Lubecenſi, qui id vidit cùm in Palæſtinam eſt peregrinatus, & habetur apud Cardinalem